PSEVDO-MEDICORVM ANATOMIA.

In qua maxima improborum et indo-
ctorum turba sub Dio enudatur, quos aut
subdola pietatis pelle velatos, aut insolenti
scientiæ fumo seù fuco obductos, vel irre-
ligio mera, vel rapax auaritia omnes
vltrâ impudentes ad medicinæ
praxin egit præcipites.

Authore Petro Bovvneo, *olim*
Oxoniensi & Somatochristiano,
nunc Collegii Medicorum Lon-
dinensium socio.

Londini,
Excudebat Avg: Mathevs.
1624.

RICHARDO VVESTON, EQVITI AVRATO *Fiſci-Cancellario, & Regiè Conſilijs* SECRETIORIBVS.

AMpliſsima tua dignitas, prudentia, ſapientia, Præclara Domi, ſpectata foris; honorificiſq; ad Cæſaream Maieſtatem, ad ſummos Germaniæ Principes, ad Auguſtiſsimam deniq; Auſtriæ Archiduceſſam, Legationibus illuſtrata: multiplex doctrina tua permultis non incognita; magnificentia verò & bonitas in omnes literatos, patefecerunt famæ ianuas, & addiderunt mihi animos vt exiguum hoc Poema, Collegis oblatũ

meis,

meis, Amplitudini etiàm tuæ addictus, conſecrarem. Nec alienum eſt hoc conſilum meum, à more maiorum (quorum ego veſtigijs libenter inambularem, inſtitutis inſiſterem) qui & ſua olim opera viris illuſtrioribus ſuæ tempeſtatis dedicarunt, vt illorum gloria, & auctoritate fulti, virtute etiam & gratia freti, reliquorum parare gratiam, aut parui facere liuorem & malitiam potuerint. Dignare igitur obſecro (Vir Honorande) ſi tua ſic ſeria ſinant te negotia, ſubſeciuis aliquot horis luſtrare hanc Anatomen, aut luſtro tuæ gratiæ fauere

Humillimo

Amplitudinis tuæ

Seruo

PETRO BOVVNEO.

REVERENDO VIRO, Domino Doctori MONDEFORD, Collegij Medicorũ Londinensium Præsidi, Electis, Senioribus, cæterísq; eiusdem Collegii Sociis, viris *doctißimis, Medicis præstantißimis, Collegis suis amantissimis*: In obseruantiæ & amoris sui testimonium, & se, & suam *Pseudomedicorum Anatomiam*, Carmine Hexametro enudatam, enucleatam offert Dedicatq;.

QVòd me in societatem vestram vno consensu omnes iampridem admisistis, vnà vos omnes alloquor, saluto veneror, & prò vestro in me fauore gratias habeo, quas possũ, maximas: Quòd diù vobiscum non sum conuicturus, hoc solùm valetudini, quam ægrè nimis fero, nec sum diutius ferendo, vt tribuatis spero, non animo inconstanti aut fluctuanti, aut vestram pertæso societatẽ, quam vnicè

 amplexor,

amplexor, cum obseruantia & officijs prosequor, & dum in viuis fuerim, (quo me cúnq; rapiat tempestas, fortuna, fatum) me collegam vestrum, vestra cum venia non verebor dicere, affirmare, gloriari: æqui vt spero, boniq; consulatis hoc Poemasium sat scio rude & indignum vestri Collegij vestris ordinis Socio: in quo, licet proprios veræ Poesios & doctrinæ meæ defectus ostendam; & nænos illos seù verrucas celasse esset satius; plures tamen Pseudomedicorum fucos dolósq; detegam, quos iamdiù par fuerrt propalari, & seriò iàm patefactos eliminari, exterminatos prorsùs aboleri. Sic vestra vigeat Societas, nomen, dignitas: quod ex animo optat & precatur

Vester,

PETRVS BOVVNEVS.

Doctori

Doctori Fox, et Doctori Gvlston, *Amicis suis, optimè de se metentibus.*

PRimum Officii locum vendicat obseruantia quam debemus *Senioribus*, gratitudo proximum, quam amicis & beneuolis. Beneuolentiam ostendistis & amorem : immò præstitistis, magnum mihi fateor in partu certè & vagatu Societatis meæ : quem, si proprias respitiam vires, infirmum, mox vestris beneficentiis validum effecistis, & constantem : annon gratias rependam saltem? Immò coràm omnibus? Non stomachentur alii, quibus notus est ille fauor. Vos vero dignemini, vt hæc, quam vobis offero, etiam fauoris vestri afflatu, gratior reddatur Anatomia, & fœlicior

Vester

Petrvs Bovvnevs.

Doctori GVIN, Amico ſuo *veteri & probato.*

ANatomicam illam diſſectionem, quam in manibus me habere pridianus erat ſermo, nùnc poſtridiè ad te mitto, viſendam, perlegendam. Præteriere iàm anni ferè quadraginta, nondùm tamen ſum oblitus, ſurrepta quædam mihi Carmina, in tuas incidiſſe manus, nobiliſſimis quibuſdam fæminis, coràm multis exponenda: quantas in me laudes tranſtulit, quantum mihi præmium attulit tua candida expoſitio, doctior tranſlatio, nunquam excidit è memoria. Vtinàm huiuſce rudis Anatomiæ, quam Præſidi, Collegis, tibiq; inter Collegas ex amicis antiquiſſimo, non minus candida fuerit cenſura tua & interpretatio, vt lætior multo, & ſi non ditior, certè fiat locupletior

Tuus

PETRVS BOVVNEVS.

Lectori

Lectori Beneuolo & æquo.

FOrsan hanc Anatomiam Collegis oblatam meis, communicabunt etiam illi amicis & notis suis: Nec feram iniquè, modò non iniquis. Lectores cupio, amplexor Beneuolos, pauci non maleuoli, æquos vero suspicor vt non homines: Quis inter homines æquus? Lectores inter non iniquus? Corrupti Mores, corruptæ Leges, corrupti Iudices, vbiq; vndiq; exclamantur; & ego Lectorem inueniam non iniquum? Hunc *non laudat sed suspicit; non deperit modò sed & omnibus honorum titulis sublimat*

Tuus

PETRVS BOVVNEVS.

Libellus ad Dominum.

HEi mihi quid faciam aut quò vadam nescio: paruus,
Pauper, et incultus, sine velo aut veste Libellus,
Et magnis tamen, et faustis, cultisq; ferendus;
Tractandusq; viris: intùs versandus et extrà,
Lustrandus claris et percensendus ocellis:
Hospes *factus erit, mox vt me conspicit,* Hostis:
Hei mihi, perpetuis præstat latitare tenebris.

Dominus ad Libellum.

PAruule perge tamen, nec quid vereare Libelle;
Non loca Barbarici moris malè culta virosuè
Antè salutatum te mittam: sed loca grata,
Atq; viros omni candoris melle benignos
Ibimus; hinc erimus comites, & adibimus vnà,
Sunt mihi nota satis loca quæ contingere poßis,
Hospitiumq; sui quod non fastidit amantes.

Errata sic corrige.

Pag. 2. lin. 17. verò, lege porrò, lin. 18. eloquens, lege, elegans. pag. 3. lin. 1. Auerrhors, lege Auerrhois.

PSEVDOMEDICORVM ANATOMIA.

BElla nec Arma cano, non ſunt ea verſibus apta
Materies noſtris: ſunt nobis obuia paſſim
Facta nefanda ſatis, ſcelerata atq; horrida facta:
Quotidiè cædes cernas, & corpora humantur,
Humano cunctæ rigantur ſanguine terræ,
Nec morbis tamen hæc fiunt, nec viribus enſis:
Auctores tantæ cladis, tantæq; ruinæ
Dicere fert animus, mores & facta referre,
Ampullas, faſtus, fumos oſtendere, & vndè
Naſcitur hæc rerum facies monſtroſa: Deus quis,
Vel Dæmon peperit potius, vel origo malorum
Ambitio, vel amor lucri, vel turpis egeſtas,
Altáue cognitio, ſiuè ignorantia cæca,
Seu mendax pietas, cunctorum lerna malorum.
Non audet Stygius Pluto tentare, quod audet
Inprimis *pinguis Monachus*, vel *Apoſtata Frater*.
Pinguis Popa timens gracilis fieri, ille lupanar
Non intrat; Fraterq; ſalax intrare popinam,
Nè mora ſit, non vult: geniis indulget vterq;
Spiritus hunc agitat, caro vilis vellicat illum;
Hic veneris ſtimulo, ventris magis ille coactus:
Alter amat pulchræ faciem formamq; puellæ,
Gallinam meliùs teneram diiudicat alter,
Atq; oui faciem longi plùs diligit albam.

Liber vterq; satis, cum iàm sua claustra reliquit,
Quid primùm Monachus? ventri vt benè consulat, omnes
Scire cibos cupit, & varios distinguere doctus
Seligit, & potior quæ sit coctura, quibusq;
Herbis, seminibus, nasutè & aromata sentit
Quêis coquere & condire queat coquus optimus: indè
Clynicus emergit: nouit *Promethea* primùm
Mactauisse bouem *Cereri*: vix approbat, atq;
Aut vaccam, aut vitulum potiùs, saltemuè iuuencam,
Masculum & agniculum laudat cum rore marino
Assum; & nè noceant humores, garyophillos
Adiicit. Imbelles bellè scit quærere Damas,
Ceruos & lepores, & quo farcimine captos,
Assos vè elixos, quali lardo artocreatos.
Non fugiunt Aues illum quocunq; volantes:
Anseris ille iecur primùm (quod amauerat olim
Sessius, aut *Scipio*, vel fert vt fama, *Metellus*)
Hic amat: & carnis quia scit præstare saporem,
Christicolis, ait, hæc posthàc: non danda *Iudæis*.
Nec caro Perdicis quià non erit esta, peribit,
Sacra *Ioui* quondam, necnon sacrata *Latonæ*:
Nec quià lasciua est, duplici vel corde comestur,
Sed quià ventriculum firmare & sistere fluxum
Creditur, & rarò quià sicca in ventre putrescit.
Inguina torquatos etsi tardare columbos
Nouerit, hic pinguem se mallet, quàm esse salacem,
Pascitur & iuuenes Pipiones, verò Pauonem
Horret, nec tanti est eloquens *Hortensius* illum
Inferat vt mensis, vel persuaderet edendum:
Pluris *Alexandri Magni* quià magna, valebit
Mulcta, melancholicum nè quis iugulare Pauonem
Audeat: huic Turdus sit gratior atq; cothunix,

Aut

Aut turtur, multùm nutrit, ſic *Auerrhoes* inquit.
Atq; modum præter quià diligit oſtrea, cancros,
Lampretas, mullos, Troctas; quia Carpio cordi eſt,
Suauis odor, ſuauis guſtus, ſua quæq; colorem
Excrementa ferunt *auratum*, & veſcitur *auro*
Vt referunt, ergò ſtagni fluuiiq; mariſq;
Piſcatur piſces, benè ſcit quoſcunq; palato
Vt gratum faciat: cupit omnes ſcire liquores
Præter aquam: tamen hanc, quià magni dicitur vſus
Extremis audet tantùm guſtare labellis:
Quod ſatis eſt, placidè Cereuiſia guttura tranſit,
At calices poſcit maiores, nobilis alla,
Sed vina ô diuina placent in viſcera mitti,
Et niſi damnosè bibimus, chonchylia, rhombi
Ilia damna ferunt, niſi turgent ilia vino:
Credas Vibidio, vel cæcus credat *Homero*,
οἶνος enim Græcis ἀπὸ τῆς οἰνώσιος inquit,
Alba rubris, antiqua nouis, & dulcia acerbis
Non operæ illius precium eſt diſtinguere: vires
Ille inueſtigat: cum vino vt pabula proſint.
Vtq; nocent, parochi naſum nec tingere poſſint,
Vt Naſidieni: ſi ſumpta vt regula monſtrat,
Quandò, quid, & poſt quod, quid cum quo, quomodo (quantum.
Iurares *Catij* longè ſuperare *Magiſtrum*.
His gradibus tandem ſibi nactus *Apollinis* artem,
Neſcio quid *Monachus* foret iſte moratus in antro,
Quiduè preces poſſint, vel quid prodeſſe Cucullus.
Altera doctrina eſt, ſic fiat & altera veſtis:
Non prece ſed pretio poſthàc ſibi vendere par eſt
Quam ſtudio & praxi partam ſibi poſſidet artem.
Fas putat omne forum poſthàc ſpectare, lucrúmq;
Omne bonum putat eſſe ſua quod colligat arte.

Quis negat? est medicus: prima artis limina libans
Se culmen tetigisse putat, dare pharmaca & audet.
Sed quid *Frater* ait, cui vires corporis atq;
Ingenii dotes fratrarunt? non sibi natus
Sed prodesse aliis, iam protinùs ergò talentum
Omne quod inuitus sibi longo tempore claustris
Occuluit, palàm faciat: quo numine morbos
Persanare valet, Medicorum turba priorum
Quos nunquam agnouit: tantum & plorare videntur
Præsentes Medici, nunquam curare: diæta
Et facili, & minimo curat medicamine *Frater.*
Ventriculi inprimis si virtus languida, seu vis
Laxa nimis renum fuerit, seù lapsa potestas
Corporis ex veneris, sæpè vt contingit, abusu:
Maturate, inquit, *Phasenq;* ad *Colchidis amnem*
Ite, atq; illic auem, licet & magni emptam, *Phasianum*
Ferte, facit sanum quià, vulgo dicta *Fasanum.*
Ferte huc cuniculum, properè huc afferte caponem:
Ista citò & facilè nutrire cibaria certum est;
Queis si continuò tibi non videare refectus,
Continuò possum restauratiua parare
Mespila, castaneas, pistacia, punica mala,
Persica, & alterius generis cydonia, sorba,
Cuncta parare queo quot terra, aer, omne vel æquor
Vsibus humanis pandunt, morbisuè medendis.
Agninos mihi ferte pedes, aut ferte caprinos,
Aut præ aliis testes gallorum, eryngia, bulbos,
Cætera quæ affatim nutriunt, valideq; sopitam
Vim stimulant: sunt hec arcana, probata,
Doctrinæq; meæ locupletes sunt mihi testes:
Hinc mihi plaudo, grauis cùm me censura grauaret
Siuè canon premeret iuris sine iure: Sacerdos,

Frater

Frater nec Monachus, nec Presbiter audeat vllus
Dicere se medicum, nè vnquam mulebria tractet.
Impius iste Canon, rigidus nimis & nimis arctus:
Expungi meritò dignus: Fraternè sororem
Non lapsam attollat, vel non succurrat egenti?
Nec Medicas adhibere manus permittitur ægræ?
Hunc Canonem cupiat stultus seruare Sacerdos;
Seruus nemo sapit, seruus timet & nihil audet:
Presbiter effrænis, liber, quam nouerit artem,
Mille vetent Canones, tamen hanc exercet, & audet,
Non audet Stygius Pluto tentare quod audet.
Falleris, & tantum *iuuenis Fraterculus* audet,
Semidij et Zelo, puriq; putiq; Ministri:
Ampliùs hi quamuis non publica pulpita tangunt,
Vlteriùs nec sunt animas occidere passi,
Extemplò fiunt Medici, doctiq; putantur
Ex Templo: curant, si fas sit credere, morbos
Omnigenos, omnis generis sua pharmaca præbent
Lurida Linigeri miscent aconita Ministri,
Non audet Stygius Pluto tentare quod audent.
Proxima gens istis surgit *Capitaneus Audax,*
Qui vel pertæsus belli sua castra relictus,
Vel ob commissum crimen depulsus aberrat,
Cernere cum faciem non amplius audeat hostis,
Aut pius in pugna nolens occidere plures
Fit medicus, glandes & enemata suauia libans
Clunibus Ægrorum, quod nec sua turpis egestas
Neue inhians lucri, vt faceret, spes vlla coegit,
Sed pietas animi, nolens sua dona tacere,
Cælitùs in castris sibi missa, *abscondere nolens*
Splendida sub modio sua lumina, pharmaca nempe,
Et preciosa quibus se restitusse saluti

Plures prô vero dicat, neq; credite, iactat,
Quàm quos in varia pugna dimiserat orco.
His vulgus facilè credens sua pharmaca sumit,
Pharmaca selectè Vomitiua, Cathartica quæq;
Non audet Stygius Pluto tentare quod audet
Insignis factus *Doctor, Capitaneus audax.*
At tu Belligeri Dux & præfecte cohortis,
Cui clypeus datur Argiuus, fortisq; videris,
Macte tua virtute, & famam extendere factis
Hic labor hoc sit opus: quòd si te *Castra* iuuarunt,
Non teneant te *Claustra* domi, nec iniqua taberna.
Quòd tibi si lapsæ, vires, adimente senecta:
Saucia difficili vel sint certamine membra:
Nè tibi, quod nunquam docuit *Bellona*, videre
Artis Apollineæ Doctor, quam nescius optas,
Nescius ignota tibi nè ampulleris in arte.
Nâm si fortè *Deus Medicorum* inuiseret olim,
Germanósq; sui natos tentaret opinor,
Non medicum agnoscat talem, nec *Apolline* satum,
Ridiculè audacem sed te censebit *Agyrtam.*
Quidnam igitur faciam iàm fractus membra labore
Dux ait? hoc dicam, quondam vt *Veianius*, arma
Herculis ad *postem* donatus iàm rude figas,
Te quóq; post pugnas placidè in viuaria ponas:
At nollem stabulari, inquis, nec in otia mitti,
Sed partem in stadio nondum lassatus haberem
Vndè vndè extricem nummos, rem, tempus ad vsq;
Supremum, *propria sit nummus dulcis in arca*
Siccinè tu nummos inhians per fasq; nefasq;
Corradas, fallens fucisq; dolisq; popellum?
Perge, age, sed non sic fortes fecere Priores
Quorum fama viget celebris, nomenq; per orbem.

Perge, age, cumq; pudor te non deterreat, audi,
Sis *Vappa* & *Nebulo*, tandem *miser* esto libenter.
Sed quisnam est quem cerno procul! *Proteusnè* matinus!
An *Prothous*, græcis quondam è ductoribus vnus?
Plotinus? an verô *Podalyrius*, arte medendi
Magnus apud *Danaos*, gnarus quoniam atq; peritus?
Cærulea iàm nùnc indurus veste videtur,
Atq; humeros suprâ sunt candida lintea, dextra
Sæpè manu pecten, sepè & cultellus eadem,
Sanguine fumantem mox cernere possis eundem,
Telâq; tractantem & vibrantem spicula dextra:
Hunc aliumq; statim videas, seù *Papineanum*,
Seù quendam legum Doctorem iura docentem
Cum quadam Venere & corpus, caput, osq; mouentem:
Et iam fit medicus, lotiumq; inspectat, & ægri
Contrectat *pulsum venarum*, hypocondria, ventrem
Molliter, & miror, si non compresserit imum,
Summe Deus quisnam est? qualis? vel quantus? & vndè
Venerit? Inquiram. Sua sunt insignia passim.
Pectine quem cernis scalpit caput atq; capillos
Pectinat, errones sed forfice scindit acura,
Post ea descendens ad malas, labia mentum,
Corrigit his crines; faciem verò irrigat omnem
Suauiter & barbam, quam candida lintea siccant.
Hic labor, hoc opus est, hinc *Barbitonsor* habetur.
Qui fit sanguineus, spurcus, fœdusq; cruore?
Horrida cur secum gerit Instrumenta? quòd illis
Chirurgus dùm vasa aperit, loculosq; recludit
Sanguinis atq; aliquas partes & membra coercens,
Putrida detruncat nè corpus corruat omne.
Hic labor, hoc opus est, *Chirurgus* dicitur illinc
Conuenit Officio nomen, debentur vtriq;

Prœmium honosq; olim magno concessa *Chyroni.*
Sed bona pars horum proprio vel amore superba,
Siuè pudore carens, seu capta cupidine falsa,
Non satis esse putat *Chyrurgos* dicier illos,
Nomina *Doctorum* nisi surripiant Medicorum,
Affectentq; alios, quos non mereantur honores.
Inde superciliis tractis, humerisq; retractis
Atq; toga assumpta, prægrandi consule digna,
Magnificè incedunt, cristas & cornua tollunt,
Quidni quoq; die phaleratus quisq; per vrbem
Nutu ac voce graui iubeat saluere popellum?
Ostendatq; caput solidum? ostentetq; cerebrum
Insula Cos peperit nullum nec *Pergama* tantum?
Non audet Stygius Pluto tentare, quod audet
Hoc caput, hoc cerebrum, solo vel *pondere magnum.*
Proximus his *Oculista audax, Vagabundus Agyrta*
Et qui omnes superat, *cinifio Paracelsicus*, omnis
Empiricus, magno qui singula spondet hiatu.
Doctior *Hippocrate* est istorum quisq; *Galenum*
Iudicio vulgi superat *Satrapamq; Auicennam,*
Quos prior *Archiatros,* & dignè senserat, ætas.
Ordine nùnc medicam mulierum dicere gentem
Inciperem, interià sed nascitur ordo nouellus
Ordo crucis Roseæ, sacer & venerabilis ordo,
ô nunquam dignus mergi sub fluctibus, ordo,
Mysticus, & fallor nisi, miscens sacra prophanis.
Sed fluat, & *Gangis* sese intermisceat vndis,
Vndè olim *Antonius* numeroso fænore diues
Abstulit, & facilè *potabile finxerat aurum.*
Ille abiit, nec quicquam vltrà sua pocula prosunt,
Nec noceant, vtinam sua, si commisserat vlla,
Et secum prorsùs fuerint delicta sepulta.

Et nùnc fæmineum placet iſtis iungere ſexum,
Non minus audacem dare toxica, pharmaca vellem
Dicere, námq; olim medicas exercuit artes,
Atq, perita nimis cenſetur gens mulierum,
Tempore iàm abs illo quo primùm conditur orbis.
Non domus vlla quidem eſt, aut ſaltem villa reperta,
In qua ſaga, nurus vel anus, vel fæmina prompta
Non medicas didicit vel non exercuit artes:
Artes faciferæ docuit quas *filia noctis,*
Filia Tartarei Regis, quæq; imperat vmbris,
Fataq; cælorum, terræq; mariſq; gubernat,
Multipotens Hecate, catulis quæ terror & horror,
Quorum atro prô more ſolet de ſanguine paſci
Lurida dum ſacra permiſcet pocula dextra:
Granáq; toſta, meri vim, mella, coagula lactis,
Quiq; ſub his latitant furtim dulcedine ſuccos
Adiicit atq; viris hæc offert miſta miſellis,
Qui induti facies, vultuſq; & terga ferarum,
Protinùs & ſæui fiunt vrſiq; lupiq;
Has *Hecate* Magicas & miras calluit artes,
At non occuluit, ſed plures hæc *Medicaſtras*
Fecit & inſtruxit primùm charam ſibi *Cyrcen,*
Poſt eà *Medeam,* & *Suadæ natam Motacillam,*
Quæ quia amata *Ioui* ſacro medicamine fertur,
Nominis illius fit Auis *Iunonis* ob iram:
Et ſua quando parant ſeù pharmaca, ſiuè venena,
Seù quicquid poſthàc faciunt *Stryges furiæuè,*
Nereides Nymphæ, mulierum, vel genus omne,
Ambubaiarum Collegia, Pharmacopolæ
Carne ſolent omnes præ aliis veſci *motacillæ.*
Sicut & *in motu* ſemper *cauda* eſt *motacillæ,*
Sic *agile ingenium* eſt *mulierum, garrula lingua,*

Plærumq; *absurda* eſt, vix vnquam fœmina ſurda;
à capite ad caudam prurit genus hoc mulierum.
Sentio *veneficas mulieres, & medicaſtras,*
Nominis et famæ quas cura pudorq; reliquit:
Quas *Hecate* ſcires doctas, *Ereboq;* *oriundas,*
Quas ſcelus & ſceleris patrandi amor occupat omnes:
Non quas poſſedit pietas probitaſq, *Matronas,*
Virgineaſq; *Choros* pudibundas & taciturnas,
Quarum facta ferunt virtutem, dicta pudorem,
Vtraq; cæleſtes animas, cæloq; oriundas.
Abſit vt has culpet *Muſa,* aut perfundat aceto;
Abſit *Apoſtolicos* vt carpat *Muſa miniſtros,*
Aut verè *Paros* mea tangant Carmina *Fratres.*
Qui ſe *Scripturas* dicit callere *Sacratas,*
Nunquid ei liceat, dicat mihi, *mittere falcem*
In meſſem alterius? Reuerendus & Eccleſiaſtes,
Præco Sacer, ſacri qui fundit ſemina vèrbi;
Chriſti commyſtes, & inunctus chriſmate ſacro,
Nunquid ei ingrato dotes & dona tacere
Atq; gradum reprobi *Simeonis* ſumere fas eſt?
Qui quæcunq; volunt, faciunt, audentq; neceſſe eſt
Hos mala, quæ nolunt, iterúmq; audire patiq;:
Sic ratio ſuadet, legéſq; ac iura *potiri*
Quèmq; ſuo modulo permittunt & pede: verum eſt
Atq; vetus *Crepidam nè vir Sutorius vltra.*
Fortè ſed obiicias, quod ſæpiùs accidit, & quod
Nuper erat nobis obiectum: *vir bonus & qui*
Doctus ità vt meruit *primarius* eſſe Sacerdos:
Hic mentis dubius iàm, *relligionis & ergo*
Vtq; *Characterem,* cuiuſq; pudètq; pigètq;,
Deleat, & patriam charam, patrioſq; penates
Deſerit, vt cum iam fuerit prouectior ætas,

Doctior

Doctior & fieret, meliorq; & ditior, arti
Incumbit, qua pauperiem frigúsq; famémq;
Pellat qua lætus multo impleat ære crumenam,
Cúmq; animas hominum nequeat sanare monendo,
Ægrotis liceat membris prodesse medendo.
Hoc petit, esto, habeat modò sit satis ille peritus
Atq; bonus medicus. Sed quî foret ille peritus?
Seriús hic quamuis serò pro more *Catonis*
Qui *Græcum didicit* ferè *octogenarius alpha:*
Sic tandem in senio medicos euoluere libros
Incipit, & quæcunq; legit *medicamina,* primùm
Offert pauperibus, námq; est *occasio præceps,*
Post ea diuitibus, quorum iactura putatur,
Maior, Maioris pretii medicina paratur,
,, (Namq; iuuare solent meliùs quo charius empta)
Et longam quamuis *Dictator Maximus* artem
Dixerat, iste cito & facili pede transiit omnem.
Ars nec præceptis, nec multo est parta labore,
Sed miro *transmissa* modo (sic fauit *Apollo)*
Milesio quondm vt fertur fauisse *Thaleti*,
Aut summo ex septem sapientum stirpe *Bianti*,
Quêis Tripodem è Delphis misit; sic mensa Triposq;
Donantur medico sine lucta aut puluere *nostro.*
Vel malè ni memini, tàm occulta scientia missa, et
Tecta *Pythonis* erat corio quem cæsit *Apollo*;
Quod mensam & Tripodem *Phœbi* velauerat antè.
Ergò, *vir iste bonus*, miranda & sorte peritus,
Quandocunq; Diis offert sua sacra precesq;
Non Lupus, aut Porcus, nec Sus sua victima sunto,
Nec simulachra hominum, *Tyberim* deiecta placebunt,
Ast homines ipsi, pueri, iuuenesq; senesq;,
Impunè & medico quos *tanto occidere fas est*:
Et redolere solent ea cuncta cadauera, tanti

Cæsa manu medici & terræ mandata parenti.
Victima nulla *Ioui*, nec *Phœbo*, nulla *Saturno*,
Iunoni antè omnes, nec gratior vlla *Dianæ*:
Testis *Carthago* est, *Tellus* est *Taurica* testis,
Omnis & humano testatur sanguine terra
Placari haùd aliter debere Deósq; Deásq;:
Virgil. *Sanguine placastis ventos et virgine cæsa.*
Macte ergò primúmq; tuos ornare memento
Gemmato digitos auro, sis lautus amictu,
Sisq; grauis vultu, semper tamen esto *Cynædus*,
Et quoties ægri sit sors tua tangere pulsum,
Cernere vel lotium populo spectante, *supernè*
Attollas oculos, tûm si quod fortè iuuamen
Senserit ægrotus, facit hoc mihi magnus *Apollo*,
Sis, memor vt clara resones & voce sonora.
Cúmq; perire alios cernas medicamine sumpto,
Causeris superos omnes & *Fata*, *Iouisq;*
Prolem, quæ cunctos mortales læserit, *Aten.*
Præcipuè caueas nè quis te labra mouentem
Conspiciat, capiatuè canentem, Pulchra Lauerna
Horat. *Da mihi* fallere, da iustum sanctúmq; videri,
Noctem peccatis, & fraudibus obiice nubem.
Hæc *impostorum* pietas est, hæc *Nebulonum*
Relligio, aucupium facta est, medicina venenum.
Fallere nàm primùm discunt, vt perdere possint:
Et facilè fallant sancta sub imagine praui,
Et temerè perdunt solo qui nomine docti:
Conspicui tamen & vultu cultúq; superbi.
Hæc species vulgi semper perstringit ocellos,
Sensúsq; vt sensu sine sic mirentur *Asellos*,
Sentiat & *Cathedra Medicorum* iure locandos,
Quos fortuna simul cum vulgo cæca rependit
Muneribus, rarò sua confert dona merenti.

Hæc mecum meditari & pertractare frequenter
Cum solus fuerim solitus: dùm deputo mecum
Quàm sacræ leges, & quanti ponderis extant,
Quarum ope *Carnifices, impostoresq;* dolosos
Indoctos, prauos, Pistrino & carcere dignos,
Et frænare queant facilè Collegia nostra
Et punire omnes, patria vel pellere saltem,
Nec surdos videam nec cæcos sceptra tenentes,
Absit vt *ignauos censores*, vel *seniores*
Dicam: sed quondam vt *Silius* dicebat inanes
Cœlos esse, Deos nullos, quià se esse beatum
Viderat, hæc quamuis blasphemo iterauerat ore.
Harpalus & quondam quià longo tempore *Prædo*
Vixisset, Diuis fertur fælicior ipsis,
Et contrà insurgit cœlestia numina testis:
Sic impostorum & nebulonum turba beatos
Dum se conspitiunt, sannis & scommate tangunt
Archiatros, censent nullius roboris esse
Principibus quondam sua missa diplomata sacris,
Leges, Iura, Statuta, Ritus, Priuilegia, Mulctas,
Omnia contemnunt, socios, collegia nulla,
Nnllos præfectos, nullas se cernere mulctas,
Dumq; hæc cuncta ferunt, se iactant esse beatos.
Summe & sancte Deus, qui dirigis omnia, & omnes
Scire facis rectè, medicæ sic consule genti,
Vt perfectè artem discant, vel protinus artis
Expertes, ægrè licet, vt fateantur honestè,
Nê plures horum culpa mittantur ad orcum.
Nàm quo cuíq; ægros fas est occidere plures,
Plus sapere, & plures nummos corradere certum est:
Quo plus nummatus, plures acquirit amicos:
Intereà medicus melior sed pauper egensq;
Nescius aut nolens medicam cum pluribus artem

Sic facere, est vilis pretii, minimiq; putatur
Iudicii, quamvis nec doctos semper egenos,
Nec benè nummatos ideò quis dicat inertes.
Adiecere bonæ paulò plus artis Athenæ
Scilicet vt possis curuo distinguere rectum :
Horat. Gemmas, marmor, ebur, Tyrrhena sigilla, tabellas,
Argentum, vestes, Gætulo murice tinctas,
Sunt qui non habeant, est qui non curat habere.
Sed Bone quò virtus tua te vocat, I pede fausto :
I Bone quò *Genius bonus* & curanda *salutis*
Te ratio moueat, nec te deterreat hostis,
Non impostorum numerus, ~~*nec vis*~~ namq; antè *Platonis*
Tempora certamen tantum certauimus olim;
Vicimus : & tua spes nunquam (*ter docte Boethi*)
Fallebat, nunquam fallat : nàm *turba* malorum
Atq; *indoctorum* numerosa *ruitq; peritq;*
Mole sua : periere omnes, quos duxerit error
Hùc illùc Lymphans in perditionis abissum.
Vicimus, hoc certum est, confidite, vicimus omnes :
Et mihi nùnc propriæ sola ratione salutis
Et mutare solum licet atq; invisere cœlum
Alternum, verò animum mutare, aliumuè
Quàm vestrum me esse, magis non viuere mallem.
Vester semper ero docti, Iuuenesq; Senesq;
Vester ero *frater, socius, collega :* precórq;
Vt vos ingeniis miris & dotibus artis
Estis, & antè alios, opera praxiq; beati
Sitis : sic medicæ quoq; gloria splendeat artis.
Vos amo, vos *veneror,* vobis *inseruio.* Sed nùnc
Finio, vos omnes iterum *saluete. Valete.*

FINIS.

Doctori MONDEFORD *Præsidi.*

OPtat Musa tibi quam non habeo ipse salutem,
ni dicit possit res malè sana salus,
Inualidum est corpus, sed mens mea sana, valensque
ad pugnam insanos mille vocare viros.
Tu modò sis Præses, præsenti numine & adsis,
aut nutu nostris Carminibus faueas.

Doctori MAYERNO, *Medico Regio Primario.*

ET Pseudomedicos, seù mala sydera,
Infestos, populum, rem quoq; publicam
Turbantes secuit Musa, sed obtulit
Dissectos Medicis stirpe ab Apollinis
Censendos: Caueat, sentiat aut suos
Plebs indocta, dolos carcere vel cruce
Plectendos meritò: tu modò Regie
Atq; inter Medicos mnnere Regio
Princeps Archiater, sic medicæ tuæ
Genti consule, nùnc auspitiis tuis
Hæc Dissectio sit gratior, & tuus
Petrus fortior & sit melior Bonus.

Doctori ATKINS, *Medico Regio Ordinario.*

QVanquam Impostorum sit maxima turba malorum
Quæ fucisq; dolisq; malis instructa, latronum
More facit prædam, raptat quóq; præmia doctis
Debita, sola suæ quæ sustentacula vitæ:
Tu tamen inuitis, viuis, nebulonibus istis
Atque viges, scurris tantis & terror & horror:
Et longùm viuas, vigeas, faueasq; Libello,
Quem tibi cum multis offert *Bowneus* amicis.

GVLIELMO PADDY, *Equiti aurato, Medico Regio Ordinario.*

NVper nostra foris Dissectio prodiit : atqui
Exiit, invito me, malè culta foris.
Calcographus temerè excudit, nec corrigit vlla
Errata; error errat, sed mea menda, suus.
Prodiit illa tuo sine flamine, & hæc mea culpa est :
sed nùnc prodibit numine læta tuo.

Doctori RIDLEY.

QVæ tu præscribis non sunt ænigmata, nec sunt
Toxica, quæ iactat Paracelsica turba, *Galenum*
Sed sapiunt, cum quo noctésq; diésq; senescis
Invigilans studiis praxíq; beatior et sit
Ista profecta tuo nostra hæc Dissectio nutu.

Doctori PALMER.

P*Almarium* Medicum *Palma* gens *Gallica* dignum
censuit, & meritò, sic sua scripta ferunt.
Non minùs et *Palma* dignum gens *Anglica* nostrum
Palmerum censet, sic tua facta probant.
Facta ferunt Medicum, non tantùm scripta scientem :
munere vtroq;, satis doctus vtérq; valet.
In nostram, videar *Palmarius* ipse, Poesin
si dilapsa foret *Palmite* stilla tuo.

Doctori CRAIG *Medico Regio Ordinario.*

NEc tibi sum notus, nec tu mihi, sola tuorum
Quæ te commendat meritorum fama, lociq;
Quem retines, notum mihi te sic fecit vt ausim
Anatomen nostram tibi commendare legendam :

Quam

Quam si fortè rudem cernas, inopemq;, benignus,
Tu tamen aspicias, sat gratum reddere possis:
Grata superueniat qua cultior exeat, hora.

Doctori ARGENT.

QVàm rectè *Argentum* Chymiatri dicere Lunam
possint, in tenebris quippe *Fodina* lucet.
Cum Sol deficiat, solatur Luna; facitq;
fælices radiis candida Luna suis:
Sit sua laus Auro, medicos & vendicat vsus
Argentum, & vires sic, sine fraude, pares:
Et pariter *Lydius* lapis hoc probat, & probat ignis:
doctrinámq; tuam sic bona Fama probat.
Eximiumq; ferunt medicum, doctumq;, probumq;,
nostra petit radios Anatomia tuos.

Doctori GIFFORD.

SCaliger effingit medicum doctissimus illum
Quem velit imprimis doctum, lenemque, probumq;
Nullius insignis curæ, immaniśq; laboris
Parcum, sed fretum diuina mente suáque
Non opera, praxi nunquam fœlice superbum.
Hunc Deus et tua te fælix industria fecit;
Imperet & virtus tua sic tibi, candidus vt sis
Anatomes nostræ fautor, rigidúsq; satelles.

Doctori HERRING.

COncursu *Halecum* sperat fæcilius omen
Nauta; sed *Halecis* diuino numine sperat
Auxilium ægrotus: si tu vel numine quicquam
Omine vel possis, noster cum numine et omen
Expectare audet, saltem implorare Libellus.

Doctori GVIN.

QVemq; priùs proso fuerim sermone locutus,
Carmine vt alloquerer Musa locuta mea est,
Alloquor, átq; tuum poscit mea Musa favorem,
candidus imperti: certus & obtinui.

Doctori LISTER *Medico Regio Ordinario.*

MAgnum opus horrendũ fuerat prostrasse *Pythonẽ*,
præterquám *Phœbi*, nullius esset opus.
Mî satis & tantum fuerit nudare *Pythonem*.
nudatum facilè tu superare queas.
Dicito *Io Paan*, & mox emitte sagittam,
decidat antè pedes præda petita tuos.

Doctori HARVEY.

TE dextrè & doctè Anatomen tractare loquuntur:
Vidi, & dexteritas vix imitanda tua est.
Lectio perdocta est, dissectio mira: quid ergò?
nùm tua me audacem dextera docta facit?
Fecit, & optarem, nam sic sua facta merentur,
vt quæ *Musa priùs*, post tua dextra secet.

Doctori CLEMET.

ET Stomachũ bilemq; tuam (doctissime *Clemens*)
ista impostorum noxia turba mouet:
Sed tua me audacem fecit *Clementia*, prælo
tradere cum monstris prælia nostra viris.

Doctori FOX *&* *Doctori* GVLSTON.

QVos sermone simul mea iunxit Epistola proso,
coniungat metris & mea Musa meis.

Quod

Quod facio iniunctus Musa, Genioq; volente;
non facerem : prorsus Musa peribit inops.
Et solitum expectat vestrum mea Musa fauorem :
Et Musæ & nobis obuiat ille fauor.

Doctori POE, *Medico Regio ad Familiam.*

QValis eram in proso nuper sermone, libenter
Non alius vellem carmine et esse meo.
Gratus ero, gratîs nunquam tua dona rependam,
non valeo vlterius dicere, gratus ero.
Vlteriùs verò nostróq; favere Libello
non nostrum hoc meritum, gratia porrò tua est.

Doctori FLVDD.

EXtera gens tua scripta colit, non sic tua forsan,
in Patria quoniam nemo Propheta sua est.
Et certè laudes mereantur iure : sed audi;
transcendunt *Genium* mystica tanta meum.
At mea non tua sit, quòd parùm intelligo, culpa; non
doctrinam loquitur publica fama tuam;
Et genus & mores laudant, laudanda : fauorem
nostra quóque optat inops Anatomia tuum.

Doctori ANDREWES.

ET tua promisit quondam permulta Iuuentus
Fænore cum magno quæ nùnc constantior ætas
Præstitit, atq; tuum perdoctos inter honorem
Auxeruut elegans oratio, lectio culta,
Dextra & pulchra quidem dissectio, digna theatro,
ô quàm digna bono, meliori, conspitiendo.
Sed tua dissecuit penicillo dextra cadauer,
Et mea viuentes nudauit Musa latrones

Suſpendi potiùs dignos: & dignior exit
Auſpitiis hæc noſtra tuis Diſſectio viua.

Doctori COLLINS.

IMpoſtor, capitum multorum eſt Bellua, namq;
Callidus eſt alius, ſed non ſic callidus alter:
Spondet cuncta alius, ſcit ſe nil poſſe: ſed alter
Spondet cuncta putans, ſe poſſe, at neſcius: alter
Impius & nebulo: ſtultus, temerarius alter:
Quiſquis is eſt, noſtris nudatus verſibus aſtat
Diſſectúſq;, tuum petit hæc Diſſectio flatum.

Doctori BASKERVILL.

AVdio tu quod ais, quid nunc *Bownæe*, Poeta?
Et vix in ſenio, deliras? Falleris: ergò
Inſanis? Fateor, ſemel inſaniuimus omnes:
Inſanos certè multos hæc protulit ætas:
Et mihi ſana ſalus vtinàm tam corporis eſſet
Quàm nùnc eſt mentis: nèc pœnitet eſſe Poetam,
Quem Deus inſpirat, cui ſunt Commercia Cœli.

Eidem.

VEl tua iàm noſtro faueat cenſura libello,
Iudicio aut periat noſtra Camæna meo.

Doctori WINSTONE.

NOn meritum noſtrum, ſolus ſed candor, amorq;
Eſt tuus, incultum ſic acceptare Libellum,
Næuis & mendis & vbique atque vndique plenum.
Nunc iterum excuſo, emendato, & non ſine mendis,
Eſto qualis eras, orat mea Muſa, Libello:
Mercurius fælix eſto mihi: ſiq; Gigantes,
Noſtra diſcretos Muſa diſcerpere poſsis,
Magnus *Apollo* eſto, cunctiſq; *Euhuius* eſto.

Doctori WILSON.

ET tibi me notum Genius meus antè cupiuit,
 et ſtudui multum quà ratione foret.
Iam tua me allexit dilectio candida, virtus
 quam prius auditam firmat & ipſa fides.
Et video credóq; tuos quos audio mores,
 percelebri dignos ingenuóque viro.
Et Medica multum tua gloria floret in arte:
 Et ſine te noſtra hæc Anatomia perit.

Doctori RAVEN.

CReditur & Coruus, tranquillæ nuncius auræ
Et tempeſtatum, quas cernit turribus altis,
Rectius & Medicam tu poſsis ſoluere praxin
Præcipuè tibi ſi ſit pars prognoſtica nota.
At Corui (vt referunt) qui ſunt orientis, Aſellos.
Viuere nec Tauros vllos patiantur: ocellos
Quippè illis adimunt primùm, mox perdere poſſunt.
ô ſi Aſinis Tauriſque queas, doctiſsime *Corue*,
Eripere aut oculos aut robora, finibus iſtis
Et longè à nobis noſtros crocitabis agyrtas.

Doctori HODSON.

NÙnc Impoſtores Aſinorum more rudentes
Emittunt gemitus; nunc iras more Leonum
Vincla recuſantum: atqui vlulant nunc more ~~Leonum.~~ Luporum
Vnde hoc? Diſſecti & nudati fraude dolóq;
Vlterius nequeant capere aut prædare popellum.
Hoc noſtrum inceptum eſt: opus exigat hoc tua virtus,
Vis tibi Prædones ſupereſt abolere vetuſtos.

Doctori

Doctori MEVERILL.

ME verè esse illum, dè te sic dicere poßis
quem verè medicum dicitis esse Bonum :
At melior multò fieres, si perdere poßis
quos ego dissecui, siuè fugare malos.

Doctori RAMSEY.

DVx Ouium est Aries, & Vervex dicitur, vt qui
Sit quasi Vir gregis, sic *Isidorus* ait.
Aut Vervex à Virme, caput, qui turbat, & vndè
iratus Vervex obuia quæq; ferit.
Ergo virúmq; ducémq; simul, Fortißime *Ramsey*,
te præsta, & præstò sedulus arma cape.
Námq; Caput medicum infestant animalia, Vermes
quos ego dissecui, túq; ferire queas.

Doctori CROOKE.

PAntheras referunt comedentis *Pandalianchen*
Protinùs incendi, tantóq; ardore perire
Stercora ni capiant humana : & taliter œstro
Persitus Impostor, dè *Pandalianche* comestus
Humano sese, curari sanguine credit,
Quem cupit, átque dato temerè medicamine fundit.
Fallitur, est Medicus, iure et sua fercula sunto
Stercora : vel manicis vt amens teneatur oportet.
Aut sumpto Helleboro, & per me iàm factus inermis,
Sit tibi commissus, tu scis Panthera domare.

Doctori RIDGELEY.

CVm videas oculis dissecta cadavera, frontem
Contrahis, átq; tenes nasum : nàm sæpiùs illa
Pertingunt olida et nasum : atqui seria rugas

Causantur. Sed nostra licet sit seria Musa,
Et secet ante oculos animalia pntrida, doctis
Est tamen hoc gratum, Medicis opus omnibus: ergò
Pone supercilium, sitq; hæc tibi sectio grata.

Doctori CLARKE.

NVm tibi de Claro sit natum Clarice nomen
Siuè Clero, si quis dubitet, sciat ille beatum
Iheronimum ad charum sic perscripsisse Nepotem:
Aut Clericos dici, Dominus quià sors Clericorum est,
Aut quià sors Domini est Clericus: tu hac sorte quies-
Sed si forte Cleros infestos videris vllos, (cas.
Aut Pseudomedicos, hos à præcepibus arce
Vermiculos, genus inuisum apibus, sic censuit olim
Summus *Aristoteles*: hos & mea Charta notauit:
Ignoti multùm, minimùm nocuere notati.

Doctori WRIGHT.

IMperat vt scribas etymon tibi nominis aut sit:
Aut vt quicquid agas sit rectum: quodlibet horum
Sit satis vt moneat, quod præstas, & facis vltrò,
Non tibi sed patriæ natus proferre memento,
Egregias animi dotes & dona medendi.
Rectáq; de nostro, tua sit Censura libello.

Doctori GRENT.

NEc tuus indoctos Genius patiatur Agyrtas:
Et ratio est, Medicos odit Agyrta bonos,
Sed tua prò nobis astant suffragia: & astas
Contra Impostores fortis Athleta malos.

AD AVTHOREM, MEdicum ſenem, corpore imbecillum, mente ſanum et floridum: in Poeſin ſuam, *Apologeticon.*

ILla Fracaſtorii Studioſa poemata dicunt,
Quàm deceat medicum variè meditata Poeſis.
Illam qui neſcit, damnat: qui nouit, adorat.
Theriacam Andromachus deſcripſit verſibus: omnem
Carmine Sammonicus medicinam: ſanus vterq;.
Ergò ſenes ſanos medicos memorare Poetas
Fas ſit: at aduerſos nulli celebrate Poetæ:
Nec Deus his, nec homo det nominis huius honorem.

Matheus Guin, Doctor

Medicus, Collega, Amicus.